



# **Disputatio physica septima continens quaestiones de meteoris in genere**

<https://hdl.handle.net/1874/340892>

DISPUTATIO PHYSICA  
SEPTIMA  
Continens Quæstiones  
*DE*  
**M E T E O R I S**  
**I N G E N E R E.**

*QVAM*

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi, Doctissimique Viri,*

**D. ARNOLDI SENGVERDII**

Lib. Art. Mag. & Philosophiæ in almâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Primatii.

*Publicè defendendam suscipit.*

**PETRUS AB EYNDHOVEN**, Rheno-Trajectinus;

*Ad diem 8. Februarij boris locoq; soliti.*



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,  
Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,  
*M. DC. XLV.*

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque*

*V I R O*

**D. ANDREÆ VANDER  
M V E L E N:** Viro erudito  
spectato.

*N E C N O N*

*Conspicuis probitate ac pietate Viris*

**D. IOANNI PETRI DELPHT,**  
apud Amstelodamenses Mercatori celeber-  
timo, ibidemque Ecclesiæ seniori gravissi-  
mo.

**D. GVILIELMO STOOP,** in Eccle-  
clesia Rheno-Trajectina Diacono fidelissi-  
mo.

*Hacse Physici exercitii theses eo quo decet  
animo*

**D.D.D.**

**PETRUS AB EYNDHOVEN.**

*Respond.*

D I S P U T A T I O P H Y S I C A  
S E P T I M A

Continens Quæstiones  
*DE*

M E T E O R I S  
I N G E N E R E.

T H E S I S I.

*An Meteorologia sit scientia?*

**N**omine meteorologiæ doctrinam intelligimus & cognitionem de meteoris. Non ut ea ab Aristotele aut alio aliquo philosopho tradita & nobis relieta est. Ut enim cognitio nostra exigua est, ita de meteoris pauca cognoscimus, pauciora scimus & sciencie qui ante nostra secula vixerunt, plurima non latent, varia probabilitate tantum apprehendimus, & ratiocinando colligimus. Sed intelligimus meterologiam in se consideratam, & talem qualis esset, si perfecta cognitio meteororum haberetur: eo modo quo physica scientia dicitur, licet nemo mortaliū perfectam scientiam omnium rerum physicarum habeat; & Ethica prudentia foret, licet nullus Ethicus, nullus prudens esset. Vocem scientię stricte accipimus ea significatione qua scienzia aliis habitibus intellectualibus opponitur. Non tamen quæsumus an meteorologia sit scientia aliqua à Physica distincta quæ ipsi opponatur, prout diversæ oppositæ scientiæ sunt Physica & Metaphysica; sed an sicut sub physica comprehenduntur plures particulariores vel partiales scientiæ, quibus tribui potest vox scientiæ, an, inquam tali ratione meteorologia etiam possit scientia dici?

I I.

Dicendum videtur, meteorologiam propriæ dictam scientiam esse. Hæc scientia non recte ex eo probatur, quia meteorologia est pars Physicæ. Physica vero est scientia: qui enī negabit meteorologiam esse scientiam, simul etiam negare potest, eam esse partem physicæ: sed sic potius; quia scire, est rem per causam suam cognoscere, & scientia est cognitio rei per causam: in

meteologia vero docentur passiones seu affectiones, quæ ostenduntur subjectis suis in esse per proprias suas causas, ita ut talibus causis positis, tales etiam effectus consequantur, quæ causæ in doctrina de Meteoris proponuntur & effectis suis applicantur; Meteorologia ergo scientia dicenda est.

### III.

Pro contraria opinione sic potest obji. Scientia est rerum necessiarum, res vero Meteorologicæ, ut pluvia tonitru &c. non sunt res necessariae sed contingentes? Resp. Simili modo hoc argumentum solvi potest quo solvitur, si quis eo utatur ad ostendendum physicam non esse scientiam. Scilicet, dicendo res meteorologicas esse contingentes, si illæ individualiter considerentur: dati vero earum scientiam & eas esse necessarias, si considerentur universaliter. Sive, pluviam, tonitru, &c. esse res necessarias easque sciri, quatenus à certis suis causis dependent, quarum declaratio in doctrina de Meteoris proponitur.

### IV.

*An ex substantia terre halitus possint resolvi?*

Communior Philosophorum opinio duplicum agnoscit causam materialem meteororum, vaporem, qui sit halitus calidus & humidus, eductus ex aqua & corporibus aquæis; & exhalationem quæ à quibusdam fumus dicitur, qui sit halitus calidus & siccus, eductus è terra vel corporibus terrestribus. Ut vero manifestissima experientia, ex aqua halitus educi, docent corpora maddida & fumantes vel vaporantes ollæ, quibus aqua repletis, ignes sunt subjecti, ita à nonnullis negatum, ex terra halitus educi. Nobis vero videtur, non ex aqua tantum, sed etiam ex terra educi halitus, qui fiant materia meteororum.

### V.

Primo, quia in aqua pluviali & nivali apparent pulvisciuli nantes per totam aquam dispersi, propter quos impurior & turbida aqua præcipue nivalis appetat: pulvisciuli vero illi nihil aliud sunt quam materia terrestris una cum halitu vaporoso sublata. Secundo, meteora ignita non possent incendi, si illorum materia

quantum esset aqua, cui nulla pinguedo vel sulphurea terrestris materia foret commista. Tertio, hoc idem probant lapides, metallaque in nubibus producta quandoque decidunt, & ex materia terrestri constant. Tandem hoc ostendunt venti qui ferociores prope littora spirare solent quam in medio mari, quia plus terrestris materiae sibi adjunctum habent.

V I.

Pro contraria opinione haec certant. Primo, si è terra educarentur halitus, terra deprehenderetur minui & decrescere. Resp. Licet aliquid è terra decedat cum illius partes resolvuntur in halitus, non tamen necesse est, terram notabiliter minui, quia quod absuntum est restauratur, tum stercoreatione & lataminibus, tum etiam per ipsa meteora decidentia & eorum reliquias; materia enim meteororum per circulum procedit, ita ut quæ jam attollitur postea decidat, ut in pluvia & similibus manifestissimum est.

V I I.

Secundo pro contraria opinione hoc profertur. Ignis non potest consumere cineres, ergo nec siccissima terra potest resolvi. Resp. falsum est, cineres non carpi & minui à diuturnis ignibus. Præterea, licet cineres non consumerentur, sequela tamen non valeret, quia cum terra dicitur resolvi, non intelligitur terra pura in naturali suo statu, sed aquis permista, quæ aquæ ad resolutionem illius non parum præstant. Accedit, quod cineres sint corpora quædam mista & quidem perfecte & proprie mista, & talia quæ difficilius dissolvuntur quam multa alia mista, quia producta sunt à tali corpore & ejusmodi qualitatibus, valde intensis à quibus dissolutio vel resolutio in halitus sit, atqui vero non facile ali quid dissolvitur ab eo & per illud, à quo & per quod productum sit.

V I I I.

An vapor eductus ex aqua specie differat ab aqua & exhalatio à terra?

Probabilior videtur opinio negativa, quæ scilicet asserit, vaporem ex aqua eductum & aquam, item exhalationem & terram, tantum accidentaliter differre, specie vero convenire. Quia fa-

cillime sine ulla alia causa efficiente vapor mutatur in aquam, & exhalatio in terram. De vapore quidem res paulo facilior quam de exhalatione, interim par hic etiam ratio videtur. Quantum ad vaporem, videmus vaporem in quem aqua tenuis erat in olla operculo statim in aquam concrescere; si specificum discrimen daretur inter vaporem & aquam, deberet causa ibi alia efficiens dari à qua specifica illa mutatio & substantialis generatio contineret. Idem chymicorum distillationes docere videntur. Quod facile exhalatio transeat in terram, tum pulvilli aquæ pluvialis & nivalis, tū etiam fuligo quæ in caminis cernitur, ostendere videtur.

I X.

Pro opposita opinione varia argumenta proponi possunt. Primo, si vapor specie conveniat cum aqua eandemque formam substantiali habeat, sequeretur vaporem & aquam easdem etiam proprietates habere: hoc vero non ita est; aqua enim frigida est & humida, vapor vero calidus. Resp. ad hoc, frigus non esse proprietatem aquæ quæ ipso necessario semper convenire debeat; hoc patet, quia aqua fervens etiam aqua est, non tamen frigida. Frigus ergo dicitur proprietas aquæ, quia aqua in naturali suo statu & pura quoad qualitates, frigus requirit; vapor aqua est, sed impura quoad qualitatem. Quod dico de elemento aquæ manifestum etiam est in aliis elementis: terræ enim simili modo tribuitur frigus, calida tamen sæpe est, & aëri juxta communem opinionem competit calor, frigidus tamen sæpe sentitur. Dices, ergo vapor frigidus potest dari in quo nihil caloris sit, si in vapore sit forma aquæ quæ frigus requirit. Respondeo, ipsa voce vaporis denotatur aqua impurata, & significatur corpus habens formam cui quidem competenter frigus naturaliter, sed quod tamen in illo corpore nondatur; eo modo quo aquam tepidam cum dicimus aquam notamus quæ à naturali sua qualitate recessit.

X.

Alterum argumentum. Si in vapore daretur forma aquæ, vapor non elevaretur, non adscenderet naturaliter, sed contra naturam. Resp. fateamur, motum illum non esse naturalem, sed violentum

sentum respectu formæ aquæ; neque mirum videri debet ab aqua  
tum provenire motum sibi non naturalem, quia ipsa aqua non est  
in naturali suo statu: poterat quidem naturalis videri respectu  
qualitatis acquisitæ, sed quia qualitas non est natura rei, dicamus  
motum illum non esse naturalem, licet ab inhærente qualitate pro-  
veniat. Talis sit motus, qualis est calefactio quæ fit ab aqua cali-  
da, quæ simili modo non est motus naturalis aquæ, provenit tamen  
à qualitate aquæ tum competenti. Dices si motus sit violentus  
quo vapor sursum attollitur, ergo est vel tractio, vel vectio, vel  
pulsio, vel vertigo, ad nullum vero horum potest revocari, ergo  
non est motus violentus. Resp. Forte motus ille aliquando ad  
tractionem, aliquando ad pulsionem potest referri. Dici etiam  
potest, ibi non enumerari omnes omnino motus violentos, ne  
quidem locales (ut jam non dicam de motu calefactionis pro-  
venientis ab aqua) sed tantum illos motus locales violentos, qui  
sunt ab externo agente, sine mutatione proprie dictæ qualitatis  
patibilis in passo, quæ mutatio hic locum habet.

#### X I.

Tertium argumentum. Si vapor esset aqua, non generaretur  
ex aqua, nec aqua ex vapore, nihil enim ex se ipso generatur. Resp.  
Cum aqua dicitur ex vapore, aut vapor, ex aquâ generari, non  
debet intelligi generatio aliqua substantialis, sed mutatio tantum  
accidentalis; qualis etiam est cum aqua calida fit ex frigida aut  
frigida ex calida. Vel etiam cum glacies dicitur mutari in aquam  
aut aqua in glaciem glacies fieri generari ex aqua, per quæ acci-  
dentes tantum mutationes designantur. Sic in artefactis dici-  
mus, mensam, scannum, statuam, fieri ex ligno, non intelligentes  
mutationem aut generationem quandam substantialiem.

---

AD

COR TERTIOR

*AD*  
*Ornatissimum Iuvenem*  
**D. PETRVM AB EYNDHOVEN,**  
*DE*  
**M E T E O R I S**  
*DISPUTANTEM.*



*Vm rostro volucris nidum vagabunda paratis.*

*Hic stipulas, illic stramen agreste legit.*

*Ova fovet, fovet ova, suo suffulta calore,*

*Sedula dum pullos foverit inde suos.*

*Sic etiam E Y N D H O V I codices radiante Legisti*

*Phæbe, sic rutilo sole nitente libros;*

*Dum veluti Sophia tibi struxeris arva laresque*

*Ingenioque tuo nidificaris acri.*

*Sacra salutasti Phæbeia, sacra Minerve.*

*Sacraque Philosophum, sunt tibi tacta chori,*

*Dum miros genii captus, dum mentis acumem*

*Protuleris roso strenuus ore palam.*

*Ponebat*

*J. CORTELIOU.*